super eos. et mutua cede mactauerunt. Sed beatam uirginem cum uellent quidam
opprimere. quicumque tetigissent eam pro hac re. statim extricabantur a manibus et pre
nimio dolore clamabant et conquerebantur. Cum autem fuissent cum fratribus
martires domini cesi et tortis et uariis suppliciis afflicti inmobiles semper manserunt.
Post hec autem iussit eos hii uinculis ligari. et super tibias eorum anchoras de nauibus
poni. et super anchoras petras magnas posuerunt. ut nimio hoc dolore afflicti
negarent. et dicebat eis. quod si non negaueritis christum. in hac eterna morte peribitis.
Cumque sic mansissent die ipso et tota nocte et beatus placidus psalleret
et fratres cum sorore orarent et deo gratias agerent. mane [illegible] uenerunt pagani. et
uidentes eos inmobiles ceperunt eis promittere [illegible] infinitum pondus auri
et argenti et lapides preciosos quos optimos [illegible] habebant. si tantum christum negarent.
Sanctus placidus respondens ait. Nos neque [illegible] pro auro. neque pro argento. neque
pro pallio deaurato. neque pro lapidibus [illegible] preciosis. negamus dominum nostrum ihesum christum. Magis
etiam cum nos debeatis sic incende[illegible] uiuos. non negamus. saluatorem dominum
nostrum ihesum christum. et fratres et soror eadem confirma[illegible]bant. Quorum uerba ut audierunt barbari ira
implacabili permoti. et cum [illegible]ra pedissimo pergentes ad dominum suum. manucham
qui erat super naues [illegible] qui hec omnia sancto placido et reliquis inferre imperauerat
atque dicta et fac[illegible]ta fuerant renuntiauerunt. At impius nequissimus crudelis et dirissimus
barbarus [illegible] terribili furore et ira accensus. precepit omnes decapitari et corpora
eorum [illegible] inhumata canibus reliquisque bestiis et uolucribus deuoranda derelinqui.
Con[illegible]cito autem cursu facientes nequissimi pagani. eiciunt eos foras
[illegible] de custodia ubi clusi tenebantur. et nimium cedendo eos deduxerunt iuxta
litus maris. Ubi primum interrogauerunt eos utrum uellent christum nega
re. et deum magnum illorum credere et adorare. Qui respuentes dixerunt.
Numquam creatorem nostrum negamus. nec alium deum quem nescimus adoramus. preter
dominum nostrum ihesum christum cui nos met ipsos hostiam uiuam sacrificium offe
rimus. Christiani sumus. et pro nomine domini ihesu christi mori magis quam uiuere desideramus.
facite de nobis quod uobis uidetur. Hoc audito impii et nequissimi paga
ni mox ira magna et indignatione succensi. omnes simul capite trunca
uerunt. Decollati sunt autem sancti martires. placidus. euticius. uictorinus.